

S. G. B. T. B.

1661

26. A.h

Min / A

T. q. 259.



COLLEGII TERTII  
In Augustanam Confessionem

DISPUTATIO. XIX.

continens

ANTIOESEN ARTICVLI VII.

De Ecclesia,

Et in specie,

De Quæstione, an dentur exempla, quibus probetur, Ecclesiam visibilem totam aliquando errasse,

Proposita.

In Electorali Academia VVittebergensi,

P R A E S I D E

JACOBO MARTINI S.S. Th.

Doct. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito,

R E S P O N D E N T E

JOHANNE GUILHELMO MAJO,

Soltq. Marchico.

In Auditorio Collegii Veteris

Ad diem 29. Aug.


---

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AUERBACH, Acad. Typogr.

ANNO M DC XXX.





D. O. M. A.

Continuatio.

**A**ctenus de conclusione hac :  
Visibilem Ecclesiam non posse deficere vel errare; audivimus Beccanum καθαγηνασικῶς disputantem, ejusq; argumenta, partim immediatè ex ipsa Scriptura petita; partim ex hypothesis nostris concessis deducta & proposita examinavimus : Consequens nunc est, ut cunctem audiamus contra nos ἀνατηνασικῶς agentem, & objectiones nostras refellere satagentem , quò percipiamus nihil ipsum hoc argumentandi modo contra nos efficere posse. Hac vice verò tantum primam objectionem videbimus.

THEISIS I.

Sic ergo pergit Jesuita S.24. Primo sic objiciunt: Synagoga Iudeorum sapè defecit à fide : Ergo etiam Ecclesia potest deficere, cum sit par ratio. Antecedens probatur, quia primo defecit tempore Mosis, quando Aaron cum toto populo adoravit vitulum Exodi 32. v.4. Secundò tempore Eliæ, quando nullus mansit fidelis, nisi solus Elias, ut ipsem conqueritur 3.Reg.19.14. Derelictus sum ego solus, & querunt animam meam, ut auferant eam. Tertiò tempore Esaiæ & Jeremia, quando omnes recesserunt à Deo, Esaiæ.1.7. Cognovit bene possessorum suum, & a finis præsepe Domini sui. Israel autem me non cognovit. Et Jerem.2.v.13. Duo mala fecit populus mens : me dereli-

A 2 que-

querunt fontem, ique vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ  
continere non valent aquas. Et 2. Paral. 15.3. Transibunt multi dies  
in Israel absque Deo vero & absque Sacerdote, Doctore & absque  
lege. Quartio tempore Christi, quando tota Synagoga cum omnibus  
ceremoniis suis expiravit.

II. Nos alias in genere sic argumentamur: Cujus rei dan-  
tur manifesta, & in oculos & sensus ipsos incurrentia exempla, illud  
nullo modo in dubium vocari, nedum planè negari potest: Atqui Ec-  
clesiam visibilem totam posse errare in fide & deficere, ejus-  
dantur manifesta, & in oculos incurrentia exempla: Ergo Ec-  
clesiam visibilem totam errare in fide & deficere posse, nullo  
modo in dubium vocandum, nedum plane negandum est.

III. Majorem, ut potè à utómis, negare nec potest, nec  
audet Beccanus: quare de Minore neganda & destruenda est sol-  
licitus: Possimus autem illam probare ejusmodi argumento:  
Quandocunque in veteri Testamento tota Synagoga visibilis  
Judaica defecit, tota Ecclesia visibilis defecit: Atqui aliquan-  
do in veteri Testamento tota Synagoga Judaica visibilis defe-  
cit: Ergo aliquando tota Ecclesia visibilis defecit.

IV. Major rursus probatur. Nam Synagoga est Eccle-  
sia, attestante ipso Bellarmino lib. 1. de Bapt. cap. 1. ubi disertis  
verbis fatetur, Synagogam Iudaicam Ecclesiam fuisse, & quidem  
antequam Christum negaverit, fuisse veram Dei Ecclesiam. Neque  
id negare ausus fuit, vel potuit Bellarminus, nisi voluisset i-  
psam manifestam scripturam negare. Etenim Actor. 7. v. 38. di-  
citur. Hic est, qui fuit ēv. τῆ ἐκκλησίᾳ, in Ecclesia sive congregazione.  
Agiture enim ibi de populo Judaico. Et è contra Ecclesia novi  
Testamenti dicitur Synagoga, Jacob. 2. v. 2. 2. Thess. 2. v. 1. Hebr. 10.  
v. 25. Cum enim utiusque Testamenti Ecclesia una eademq;  
sit secundum essentiam, uno eodemque nomine utrumq; po-  
pulum indigitare, nihil vetat.

V. Minorem demonstramus hunc in modum: Quan-  
docunque in veteri Testamento summus Sacerdos, Rex, po-  
pulus, & quidem per omnes civitates habuerunt Deos alienos,  
& publicè coluerunt falsa numina; tota defecit visibilis Syna-  
goga:

goga. At qui tempore Achatz in veteri Testam. summus Sacerdos, Rex, populus, & quidem per omnes civitates habuerunt Deos alienos, & publicè coluerunt falsa numina : Ergo tempore Achatz in veteri Testamento defecit tota Synagoga visibilis Judaica : Et per consequenā Ecclesia. Major est autem. Minor probatur. Nam lib. 2. Reg. cap. 16. describitur primū Idolomania Regis v. 2. 3. & 4. summi Sacerdotis. v. 11. & tandem totius populi v. 15. & seqq. Videantur quoque 2. Paral. 28. v. 11. & seqq. Imò etiam v. 22. & seqq. usque ad 26. Quia itaque totius regni Israelitici Synagoga tota defecerat; necessariò sequitur, Iquod tempore Regis Achatz tota Ecclesia visibilis Vt. à fide defecerit. Quod Argumentum initio Jesuitis oppositum volumus, solvant, si possunt. Sed omnes ingenii nequitiae, & astutiae nervos intendant, in æternum non solvent.

VI. Sed audiamus, quid respondeat Bécanus. Respōdeo, inquit §. 25. Quidquid sit de antecedente, de quo paulò post, neganda est consequentia. Non n. sequitur: Synagoga defecit: Ergo Ecclesia deficiet. Primo, quia habet Ecclesia promissiōne de sua firmitate ac stabilitate, quam Synagoga non habuit. Non enim de Synagoga, sed Ecclesia dicitur: Portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Secundo Ecclesia est libera: Synagoga fuit ancilla. Et illa designatur per Sarah, quæ fuit uxor Abrabe, hec per Agar quæ fuit ancilla (Gal. 4. 24.) At Agar fuit dimissa & repudiata, non item Sara. Ergo similiter Synagoga debuit repudiari, non item Ecclesia. Tertiò Ecclesia est Catholica seu universalis, non secundum ratione loci, sed secundum ratione hominum salvatorum. Quotquot enim salvantur, in Ecclesia salvantur: Et extra illam salvari nemo potest. Igitur, si deficeret tota Ecclesia, nullus omnino salvaretur. At Synagoga non erat Catholica seu universalis, quia extra illam poterant homines salvari, ut Ninivitæ, & alii. Tamen ergo defecisset tota Synagoga, adhuc tamen potuissent homines salvari.

VII. Negat ergo Bécanus argumenti à se formati consequiam, & sic majorem nostri secundi syllogismi th. 3. propositi. At probavimus illam: Quandoquidem Synagogam

Judaicam & quæ dici Ecclesiam, atque Ecclesiam novi Testam-  
menti: imo essentiâ esse unam Ecclesiam demonstravimus.

VIII. Sed probat diversitatem synagogæ veteris Te-  
stamenti, & Ecclesiæ novi fœderis: quod hæc habeat promis-  
sionem de sua firmitate & stabilitate: illa non habeat. Nugæ  
sunt Jesuiticæ. Nam Testamenti veteris Ecclesia hic nequa-  
quam cedit Ecclesiæ Testam. novi.

IX. Non quidem imus inficias, quasdam in Novo Te-  
stamento promissiones esse augustiores, quod Christum carne  
manifestatum prædicent, & depulsis figuratum umbris, ipsum  
Novi Testamenti corpus, veritatem & substantiam præsentem  
sistant: Et denique quod in iis beneficia Christi per Evangelii  
prædicationem etiam gentibus offerantur: Quod verò attinet  
promissiones de favore & dilectione Dei erga Ecclesiam, de-  
que conservatione ejus ac desensione (de quibus solis hic con-  
trovertitur, & nequaquam de illis) dicimus ac repetimus, eas,  
quæ veteri populo sunt factæ, non minus validas fuisse & soli-  
das, nec minus præclaras & magnificas. Neque enim Jehova  
sanctos suos in veteri Testamèto frigidius dilexit, quam Chri-  
stianos in Novo fœdere, & sub regno Christi: Neque minori  
potentia inter horribiles minas exterarum gentium, miran-  
dasque Imperiorum vicissitudines ac ruinas longè maximas  
conservavit sibi Ecclesiam suam, atque hodie.

X. Et sanè quæ poterant dari promissiones de summo  
favoris & curæ Dei erga Ecclesiam vastigio, certiores & infi-  
gniiores, quam hæc, quæ ex tot illustribus elogiis effulgent, qui-  
bus suum populum prophetarum scriptis insignivit Domi-  
nus. Appellat enim illum thesaurum dilectum præ omnibus  
populis, regnum sacerdotale, gentem sanctam, Exod. 19. v. 5. 6.  
Benedictum à Jehova. Psal. 115. v. 15. Cujus Jehova auxilium, &  
clypeus ibid. v. 9. 10. 11. primogenitum filium, sanctificationem  
Domini, partem Domini, populum suum, quem ceu super a-  
quila portavit, imo quæ humeris suis portat sicut aquila pro-  
vocat pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas:  
quem ceu pupillam oculi custodiet.

cvi

ii. Quo



XI. Quo etiam pertinent promissiones ad Patriarchas factas Gen. 17. v. 7. ad Abrahamum dicit Jehova: Statuam paculum meum inter me & te, interg<sub>3</sub> semen tuum post te in generationibus suis fædere perpetuo, ut sim tibi in Deum, & semini tuo post te. Atq; promissio hæc sæpius est repetita ipsi Abrahamo, Gen. 22. v. 17. 18. Isaaco c. 26. v. 4. Jacobo c. 28. v. 14. c. 35. v. 11. Letit. 26. v. 11. 12. Ponam tabernaculum meum in medio vestri, neque abominabitur vos anima mea. Ambulabo autem in medio vestri, eroque vobis in Deum, & vos eritis mihi in populum &c. Psal. 132. v. 13. 14. Elegit Jehova Sion, expetivit, ut esset habitaculum sibi. Hec requies mea in seculum usque: hic habitabo, quoniam expetivi eā. Et de Ecclesia Israelitica rursus canit Propheta: Qui annunciat verbum suum Jacob, justicias ac judicia sua Israel. Taliter non fecit omni nationi, Psal. 147. Evolvat Jesuita totum vetus Testam. inveniet promissiones amplissimas, & erubescet.

XII. Huc porrè spectant Apostolica illa præconia de Ecclesia veteris Testamenti. Rom. 3. & 9. Quod Judæis commissa fuerint oracula Dei, quod illorum fuerit adoptio, & gloria, & Testamenta, & legis constitutio, & cultus, & promissiones, quod sint sanctæ radicis sancti rami, & sanctæ massæ sancta conspersio. Rom. 11.

XIII. Quid? quod Ecclesia veteris Testamenti cunctis temporibus fuerit nobilitata illustribus miraculis, signis & prodigiis, quæ de favore, præsentia Dei, & defensione Ecclesie Israeliticæ quam locupletissimè testantur: Qualia sanctæ miracula, jam post Apostolorum tempora, confirmato inter gentes Evangelio, non eduntur: ficta namque pontificiorum miracula, quia Matth. 24. v. 2. Thess. 2. v. 9. & Apocal. 13. v. 13. operationi Satanae adscribitur, & ad stabiliendum mendacium tendunt, merito repudiamus.

XIV. Accedit & hoc, quod Christus secundum carnem peculiari privilegio latebat in populo Judaico: Unde Christus ipse pronunciat, salus ex Judæis est, Joban. 4. v. 22. Et Apostolus Paulus. Qui est ex patribus, inquit, quantum attinet ad carnem, qui est super omnia Deus benedicens in secula. Rom. 9. v. 5.

Imo

Imò negari nequit, quod illa ipsa promissio, Ecclesiæ veteris Testamenti facta, (nimirum de illius conservatione in veritate, ne excidat aut excindatur) ipso etiam Apostolo teste, augustinus sit, quam respectu gentium sub Novo Testamento, idque inde, quod Judæi rami fuerunt naturales, nos verò sub Novo Testamento præter naturam insiti in veram oleam. Adeò ut Paulus planè contraria ratione (quam Pontificii facit) inferat & concludat: *Si naturales illi rami excidi à veritate & salute peruerint, posse utiq; magis etiam à veritate & salute excidi eos, qui præter naturam olea sunt insiti, id est Christianos è gentilismo conversos in Novo Testamento.*

XV. Quod bene notare velint Jesuitæ & Papicolar; & cùm primis diligenter observare, quod Apostolus sigillatum scribat, & expendendum in specie ac individuo committat Ecclesiæ Romanæ: cui hanc suam epistolam inscripsit, nempe quod & illam ipsam excindi posse afferat & confirmet. Quod quia negare non possunt: qua igitur fronte jactare audent, synagogam illam Romanam errare, aut excidi non posse? secus quā ex Spiritu sancto pronunciet Apostolus: Rom. II.

XVI. Luce ergo meridiana solstitiali clarius est, quod objectione à promissionibus, in Veteri & Novo Testamento factis, desumpta, suam caussam Papani adeò non evincunt, ut potius illam pessimè perdant. Quandoquidem (quod & prætermittendum non est) illas in neutro dedit Jehovah absolutas: sed semper cum limitatione vel expressa vel subaudienda: uti statim videre est, Gen. 17. v. 9. Ubi promissio Abrahæ factæ statim annexit: *Tu autem pactum meum custodies, tu & semen tuum post te in generationibus suis.* Et v. 14. *Incircumcisus autem masculus, qui non circumcidet carnem preputii sui utique exterminabitur.* Conferatur 2. Paral. 15. v. 2. Jer. 7. v. 13. & seqq. Sic quoque Ecclesia Novi Testamenti nullibi accepit promissiones absolutas, sed semper conditionatas Job. 8. v. 31. *Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, &c. 15. v. 14. Vos amici mei eritis, si feceritis quacunque mandabo vobis.* 1. Timoth. 6. v. 3. 4. 5. Heb. 3. v. 6. 7. 8.

12. Non

XVII. Non etiam Papani tantum attendere debebant promissiones, populo Christiano sub regno Messiae factas: sed etiam Vaticinia de tristissima & penè universalis, maximeque diurna seductione, quam sub Antichristi regno in orbem Christianum exundantem, Spiritus sanctus prænunciat. Quam sanè tantam fore dicit Christus *Matth. 24. v. 24.* Ut si possibile esset, in errorem dicerentur etiam electi. Et omnino istiusmodi fore tribulationem, qualis non fuerit ab initio mundi, neq; post futura sit, sedente nimis in templo Dei, hoc est, administrationem Ecclesie sibi vendicante isto *avilnesμένω*, qui se extollat supra omne, quod dicitur Deus & numen *2.Theff.2.* & famosā illā Babylone (quam Johannes Apocal. 17. pronunciat esse civitatem illam magnam, quæ habeat Monarchiam super reges terræ, id est Romanū) spirituali sua fornicatione reges terræ, & habitantes in ea gentes, & tribus & linguis & populos dementante, *Apoc.17.*

XVIII. Hæc si recte perpenderent Jesuitæ, & cæteri Papani, absque dubio veritatem viderent, agnoscerent, & amplecterentur. Verūm quia, ut Judæi excæcatum cor, & aures aggravatas, & oculos clausos habent, ut audiendo quidem audiant, sed non intelligent, videndo videant, sed non cognoscant, *Esa.6.v.9.10.* de illorum & cum primis Jesuitarum conversione non immerito dubitamus.

XIX. Deinde in comparatione veteris cum Agar ancilla, & novi fœderis cum Sarā libera Beccanus suam rudem prodit ignorantiam. Primum enim ponamus comparationem ita factam esse à Paulo, ut Ecclesia significetur per liberam, & Synagoga per ancillam: Inequaque tamen id factum esse concedendum est, ratione internæ proprietatis sive affectionis, nempe infallibilitatis, vel etiam divertii quod fieri possit: sed respectu externi accidentis onerūs inimicorum ceremonialium Leviticorum, quæ instar ancillæ portare cogebatur: ut sic intelligatur Ecclesia Novi Testamenti liberæ Saræ comparari; quod ablato jugo servitutis Mosaicæ libera, & propterea per primariam uxorem Abrahāmi præfigurata fuerit.

**XX.** Verum enim verò si rem accuratius intoscipimus, dicere cogimur, ipsam Synagogam Judaicam non comparari cum ancilla, ut neque Ecclesia Christiana cum libera. Clara enim sunt verba Apostoli v. 23, 24. *Sed is, qui est ex ancilla, secundum carnem natus est: qui verò ex libera, per promissionem: per quæ aliud figuratur.* Nam haec sunt duas illæ pactiones &c.

**XXI.** Et sic disertè indicat ac docet duas Abrahami uxores significare duas pactiones, testamenta, aut doctrinas. Agar, legalem; Sarah, Evangelicam. Et priorem illam significatam per Agar addit v. 24, 25. esse eam doctrinam aut pactionem, quæ veniat ex monte Sinai, quia ibi lex & pactio ejus data est. Eam igitur, ait, generare ad servitutem: quia omnes legis sectatores sunt servi tum peccati, tum maledictionis iræ Dei, tum illorum tamen variorum præceptorum ac rituum; tum deniq; nihil boni promptè & alacri animo faciunt, sed omnia servili. Si et postquam Apostolus omnia legalia sub jugum servitutis conclusit; porro v. 26. indicat, solam cœlestem Hierusalem per Sarah, & terrenam Hierusalem significatam esse unâ cum filiis suis verè liberam: Ea autem est gratia & feedus gratiæ doctrinaque Evangelii: quam ideo sursum esse dicit sive sublimem: quia gratia de cœlo originem habet, ex eo, qui nos prior ita dilexit, ut unigenitum nobis filium tradiderit ac miserit, ut esset nobis panis cœlestis & vitæ, non ex nostris carnalibus viribus aut meritis, utpote quam nobis filius Dei ex sinu patris, mera ipsius misericordia protulit & atculit. Quandoquidem perinde per illam promissionem cœlestem, ex mera gratia data mirabiliter gignimur spiritu & fide: sicut olim Isaacus fide ac promissione miraculosè est genitus.

**XXII.** Manifestum igitur est, quod diximus, Synagogam Judaicam non propriè per se & immediate cum ancilla, ut neque Ecclesiam Christianam cum liberis: sed diversa illa pactiona & doctrinas legis & Evangelii comparari. Uti etiam pervertit Beccanus sua glossa totum Apostoli scopum; qui docere voluit, Ismaelem secundum carnem natum non esse hæredem, sed Iacobum secundum promissionem natum. Et idem facit.



facit Beccanus, (ut vere & argute ipsum accusat Meisartus) ac si negaret, Christianos mori non posse, quia Ecclesia comparatur cum libera: Judæos potuisse, quia Synagoga comparatur cum ancilla. Risum teneatis amici.

**XIII.** Ad tertium respondemus nos supra demonstrasse, nempe *disput. 16. Tb. 28. 29. 30.* Ecclesiam Veteris Testamenti non simpliciter negandam esse Catholicam, sed Catholicam quoque dicendam, quatenus doctrinam cœlestem, unanimi prophetarum consensu & suffragio traditam, fideliter tenuit, & amplexa est: Et etsi nuspian alibi Ecclesia visibilis conspiciebatur, in qua sacerdotium, templum & sacrificium esset, quam in populo Judaico: nihilominus omnes, qui ex gentibus convertebantur, vera illius Ecclesiae erant membra, ab illa visibili licet loco & externa societate disjuncta, interno tamen affectu & fidei societate conjunctissima. Quare etiamsi quatenus visibilis ad certum locum & populum fuerit alligata Ecclesia Judaica, non tamen quatenus extra illum visibilem certum multa habuit invisibilia membra, in multis terrarum orbis partibus dispersa, inter quæ fuit Eunuchus Reginæ Candaces, *Aet. 8. v. 27.* qui longissimum iter suscepit usq[ue] ad Ecclesiae gratia. Quia igitur Ecclesia Catholica & universalis dicitur, non quatenus visibilis, sed quatenus invisibilis est, nempe non quatenus videtur, sed quatenus creditur, uti etiam supra monuimus; liquet de Ecclesia Judaica non similiiter negandum esse, quod fuerit Catholica, licet non simpliciter modo, quo Ecclesia Christians.

**XIV.** Ceterum ut extra Ecclesiam Judaicam visibile aliqui potuerunt salvari, sic quoque demonstravimus supra id fieri posse extra Ecclesiam visibilem Christianam. Ut autem extra Ecclesiam Catholicam Christianam nulla est salus, & nemo potest salvari, sic neque quispiam extra Ecclesiam Catholicam Judaicam salvari potuit: nempe ut nemo potest salvari, nisi adhæserit vera fide veræ Ecclesiae Christianæ: Et sic licet quoad locum extra illam sit, in illa tamen consensu ac fide maneat: Sic neque in Veteri Testamento salvari quispiam poterit,

nisi Ecclesiæ Israeliticæ spirituale membrum, proindeque in illa spiritu, consensu fideque fuerit.

XXV. Pergit nunc Becanus ad antecedens argumenti à se formati §. 44. *Hæc de consequentia.* In probatione antecedentis multa assumuntur, quæ examinanda sunt: Primum est Synagogam tempore Moysi, in adorando vitulo, à fide defecisse. Falsum est. Non defecit tota Synagoga, sed pars ejus; non enim defecit Moyses, nec Levites & Sacerdotes, ut patet ex illo 32:36. Videns ergo Moyses populum, ait. Si quis est Domini, jungatur mibi. Congregatique sunt ad eum omnes filii Levi. Erant autem filii Levi duo millia, ut habetur Numer. 3:39.

XXVI. Respondemus i. committi fallaciam phrasos. Nam quando dicimus, totam Ecclesiam sive Synagogam defecisse, non intelligimus singula individua, sed potiorem partem: quæ facit Ecclesiam visibilem: & cum primis publicum ministerium corruptum, quando illi maxima pars etiam adhæret. Sic dicimus totam Ecclesiam pontificiam esse Idololatricam, nempe quoad potiorem partem, & quatenus in ministerio publico visibilis est. Ut autem concedimus in Papa na Ecclesia hodieque viva Ecclesiæ Christi delitescere membra: sic quando dicimus totam Ecclesiam Israeliticam defecisse à Jehova, non negamus, Deum sibi reservasse & custodivisse suos electos.

XXVII. Mosen itaq; non defecisse non imus inficias: sed una persona neque est tota Ecclesia, neque est potior pars; sed ne rationem Ecclesiæ quidem habet. Ut tempore Eliae, totam Propheta, defecisse putabat Ecclesiam; licet se Jehovah, ac vero Deo Israels constanti fide adhærere certò sciret. Quod autem Becanus Levitas & Sacerdotes non defecisse addit, falsissimum est: & ratio annexa nihil quicquam probat. Sic vult argumentari: *Quicunque se Mosi adhortanti jungebant, illi non defecerunt à Domino: At qui omnes filii Levi se Mosi adhortanti jungebant: Ergo nulli filii Levi defecerunt à Domino.*

XXVIII. Minorem concedimus: est enim manifesta ex scri-

ex scriptura. Non verò sine causa quæritur de ratione consequentiæ sive connexionis Majoris: Istam enim falsam esse arguit falsa conclusio; sic argumentor: *Omnis syllogismus legitimè dispositus inferens conclusionem falsam, necesse est alterutram premisserum habeat falsam.* At qui hic syllogismus legitimè dispositus inferat conclusionem falsam: Ergo necesse est alterutram præmissarum habeat falsam. Major est certa. Nam licet ex fassis interdum vere ex veris tamen nunquam falsa infertur conclusio, ut Logici sciunt. Minor quoque probatu facilis est. Nam 1. est in prima figura in secundo modo celarent. 2. Deinde falsam esse conclusionem: *Nulli filii Levi defecerant à Domino: testatur ipse tex-tus, asseverans, principem familiæ Levi, Aarone peccasse & defecisse;* Ergo certum est conclusum: *Alterutram præmissarum argumenti Beca non falsam esse.* Sed non minorem ut probatum: Ergo majorem. Et omnino majorem: quippe quæ laborat fallacia causæ. Quod enim Levitæ imperio Mosis paruerunt, & de rebellibus supplicium sumserunt, ejus causa non fuit immunitas ab idolomania: sed pœnitentia, quam serio agebant.

XXIX. Pergit Beca *§. 45. & 46.* Alterum est Synagogā tempore Heliæ, Jesaiæ & Jeremie defecisse à fide. Hic opus est distinctione. Nam eo tempore, duo regna pertinebant ad Synagogam: Alterum Iuda, quod constabat duabus, alterum Israel, quod constabat decem tribubus. Hoc posterius statim à principio, sub primo Rege Jerobeam defecit à vera fide, & publicè capit Idola adorare. (*3. Reg. 12. 28.*) Et in eo statu permanxit usque ad captivitatem, juxta illud *4. Reg. 17. 22.* Ambulaverunt filii Israel in universis peccatis Jerobeam, quæ fecerat, & non recesserunt ab eis, usq; quo Dominus auferret Israel à facie sua in Assyrios. Nibilominus semper aliqui fuerunt in illo regno, qui abstincent ab Idolatria, & verum Deum agnoscerent, etiam tempore Heliæ, nam cum ipse putaret, se solum relictum esse, audivit responsum à Deo: *3. Reg. 19. 18.* Dereliqui mibi in Israel septem milia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal. In regno Iuda aliter res habuit. Nam aliqui reges fuerunt boni, & cultores veri Dei, ut Asa, Josaphat, Azarias, Joatham, Ezechias, &

Josias, sub quibus vera religio vel restaurata vel conservata est. At  
lii mali & idololatras, ut Achaz, Manasses, Amon. Alii denique, non  
quidem Idololatres, sed tamen mali: semper tamen in templo Salo-  
monis videtur mansisse usus sacrificiorum, secundum legem Mosai-  
cam, usq; ad captivitatem Babyloniam, ut colligitur ex illis verbis  
2. Machab. i. 19. Cum in Persiam ducerentur Pates nostri, Sacerdo-  
tes, qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari occulte ab-  
sconderunt in valle, ubi erat putens altus & siccus. Loquitur de igne  
calitus a Deo misso, quo utebantur sacerdotes in quotidianis sacri-  
ciis (Levit. 9. & 10.) Igitur ignis ille fuit conservatus in templo, usq; ad  
illud tempus, quo Iudei in Persiam captivi abducebantur.

XXX. Respondemus, nos pro concessu & confessu  
accipimus: quod Beccanus fateatur, Regnum Israeliticum, sta-  
tim a principio sub primo rege Jerobeam defecisse a vera fide,  
& publicè incepisse idola adorare. Inde enim simul intelli-  
gitur, non posse Beccanum negare, in regno illo Israelitico to-  
tum ministerium publicum Synagogæ visibilis defecisse. At-  
que hoc est quod volumus: uti neque contra nos est, quod  
addit, semper nihilominus fuisse in regno illo, qui ab idolomania  
abstinuerunt, & verum Deum agnoverunt tempore Eliæ. Nam  
illi fuerunt occulti, 1. Reg. 18. vers. 4. & vel ipsi Prophetæ inco-  
gniti, qui se solum arbitrabatur superstitem, 1. Reg. 19. v. 10. Pro-  
indeque non visibilem, sed invisibilem constituerunt Eccles-  
iam. Neque Lutherani unquam diximus vel docuimus, to-  
tam ac universam Ecclesiam defecisse. Nec quidem per febrem  
vel somnum ejusmodi paradoxum nobis unquam in mentem  
venire potuit, ut in præcedentibus Disputationibus contra-  
rium luculenter demonstravimus.

XXXI. Deinde quod attinet Regnum Iuda, in eo se aliter  
babuisse tempore Eliæ, vix probabit Jesuita. Primum enim  
de eo patiter conqueritur Elias, quando dicit, Altaria Jebo-  
væ destrutta fuisse: Illa autem erant in templo Hierosolymita-  
no. Hinc etiam Apostolus Paulus Rom. 11. v. 3. Eliæ quere-  
las, ut generales adducit. Et sane tempore Eliæ cultum divi-  
num in regno Iuda non fuisse purum, sed Idololatricum, ma-  
nife-

nifestum est ex 1. Reg. 14. v. 22. 23. 24. ubi scribitur: Facitque  
Iuda malum in oculis Jehovah, Et ad iracundiam provocaverunt  
eum magis, quam omnia, quae fecerant patres eorum peccatis suis, qua-  
peccaverant: Nam edificaverunt etiam ipso excelsa Et statuas, Et lu-  
cos super omnem collem excelsam, Et subter omnem arborem viridem:  
Fecerunt etiam mascula scorta in terra, fecerunt secundum omnes  
abominationes gentium, quas ejecit Jehovah à facie filiorum Israel:  
Quid disertius dici posset?

XXXII. Et facta hæc sunt sub Rehabeamo primo  
regis in Iuda, 1. Reg. 14. v. 21. Hujus successor fuit Abiam, 1. Reg. 15.  
v. 1. 2. Paral. 11. v. 22. Etis dicitur ambulasse in omnibus peccatis  
patris sui, 1. Reg. 15. v. 3. Huic in regno successit Asa 1. Reg. 15. v. 8.  
Cujus pietas licet commendetur ibid. v. 11. non tamen excelsa re-  
movit, ibid. v. 14. Huic successit Josaphat, ibid. v. 24. neque hic  
excelsa sustulit ibid. cap. 22. v. 43. Adhuc populo immolante &  
suffiente in illis excelsis, ibid. v. 44. Successor Josephati fuit  
ejus filius, Joram, 2. Reg. 8. v. 16. 2. Paral. 21. v. 1. quem omisit Beca-  
nus, & is ambulavit per viam Regum Israëlis, Ibid. 2. Reg. 8. v. 18.  
2. Paral. 21. v. 6. dereliquit Jehovah Deum patrum suorum, v. 10.  
occidit fratres suos v. 4. Et fecit excelsa in montibus Iuda, &  
fornicari fecit habitatores Jerusalem & impulit Iuda, v. 11. Quæ  
ob causam etiam literis ab Elia graviter reprehenditur, v. 13.

XXXIII. Hujus Successor fuit Ochozias, 2. Paral. 22.  
v. 1. & is ambulavit in viis domus Achab. Mater enim ejus con-  
suluerat ei, ut impiè ageret, ibid. v. 3. Et sic Baalismum professus  
fuit. Post hunc regnavit Athalia, 2. Par. 22. v. 12. Erat hæc impiæ  
& filii ejus destruxerunt domum Dei: quin etiam omnes san-  
ctificationes domus Jehovah impederunt in Idolis, ibid. c. 24. v. 7.  
Post hæc regnavit Joas, qui quidè fecit, quod rectū in oculis Je-  
hovæ, præceptore Jehoada sacerdote, 2. Par. 24. v. 2. Isto autem  
mortuo, obtemperavit Principibus Iuda, & dereliquit domum Je-  
hovæ Dei Patrum suorum, & sculptilibus servivit, ibid. 17. Et seqq.  
Huic succedit filius, Amarias, ib. v. ult. Et, c. 25. v. 1. qui fuit hypo-  
crita, 2. Par. 25. v. 2. neq; excelsa abstulit: & adhuc populi sub eo  
immolabat & suffiebat in excelsis, 2. Reg. 14. v. 4. Hujus successor  
fuit:

fuit Asarias, 2. Reg. 15. v. 2. neque hic excelsa sustulit, sed populus adhuc immolabat, & suffiebat in excelsis, ibid. v. 4. Post hunc regnavit Jojathan, ibid. v. 33. neque hic excelsa amovit, & populus immolabat & suffiebat in excelsis, Ibid. v. 35. Hujus successor fuit Achas, 2. Reg. 16. v. 2. is non fecit, quod rectum erat in oculis Jehovahæ Dei sui, sed ambulavit in via regum Israel, & etiam filium suum transire fecit per ignem secundum abominationes gentium immolavit insuper & suffivit in excelsis, & collibus & subter omne lignum viride, ibid. v. 2. 3. 4.

XXXIV. Post hunc regnavit Ezechias sive Hiskias, 2. Reg. 18. v. 2. Hic primum sustulit excelsa, & contrivit statuas, & succidit lucum, confregitque serpentem æneum, quem fecerat Mose; quia usque ad dies illos filii Israel suffiebant ei, Ibid. v. 4. Hujus successor est Manasses, 2. Reg. 20. v. ult. & c. 21. v. 1. Hic rursus instauravit excelsa, quæ Hiskias pater ejus evertierat, & erexit altaria Baali, extruxit quoque aras universæ militiæ cœli in diebus atriis domus Jehovahæ traduxit filium suum per ignem & c. v. 2. & seqq. Hujus successor fuit Ammon, 2. Reg. 21. v. 19. qui per omnia in Idolomania patrem est imitatus, Ibid. v. 20. Hujus successor fuit Josias, 2. Reg. 21. v. ult. & c. 22. v. 1. Hic fuit pius, instauravit templum, &, invento libro Deuteronomij, consulit Dominum per Hudam prophetam, Ibid. v. 2. & seqq. & cap. 23. Huic successit Joachas, & tantum tribus mensibus regnavit, ibid. cap. 23. v. 31. & fecit malum in oculis Jehovahæ juxta omnia, quæ fecerant patres sui, ibid. v. 32. Huic successit Jojakim, ibid. v. 34. & seqq. & hic fecit malum in oculis Jehovahæ, & ambulavit in viis patrum suorum, vers. ult. hicque captivus abducitur à Nebucadnezare Rege Babiloniae c. 24. v. 1.

XXXV. Ex hac enumeratione regum Juda manifestum est, quod non multum discriminis fuerit inter Ecclesiam Israeliticam & Judaicam. Nam ut Israeliticus populus statim à principio sub rege Jerobeam à vera fide defecit, & publicè i-dola adorare cœpit, & in ista Idolomania permansit usq; ad captitatem Babyloniam: Sic idem testatur scriptura de populo Judaico, quod statim sub primo rege Rehoboamo à vera fide

fide defecerit, Idola publicè coluerit, & in Idolomania permanerit, etiam ad captivitatem usque Babylonicam, nisi quod duabus vicibus, nempe sub rege Hiskia, & Josia, Idola destruta fuerunt, & verus cultus rursus introductus: qui verè statim, regibus illis defunctis, abrogatus, & Idolomania revocata est.

XXXVI. Certum igitur est, quod à temporibus Rehoboami, usque ad tempora regis Hiskiae, & sic per annos quasi ducentos quadraginta nullus verus cultus Dei publicus in Juda fuerit, cum semper excelsa manserint. Sic temporibus Manasse & Ammonis, annis nimirum quinquaginta & ultra, uti etiam sub Joakim, decem annis. Ergo omnibus illis temporibus nulla fuit vera Ecclesia visibilis, neque in Judaico, neque in Israelitico populo, & sic simpliciter nulla fuit. Nam licet quidam reges fuerint boni & veri Dei cultores, non tamen excelsa reformabant & abjiciebant: Unde populus, ut expressè aliquot scriptura loca testantur, mansit & perrexit etiam sub bonis istis regibus in sua Idolomania.

XXXVII. Quod porrò addit, videtur in templo Salomonis semper mansisse usus sacrificiorum usque ad captivitatem Babylonicam. Respondemus Jesuitæ videtur, facile solvi per nostrum non videtur. Sanè de Achas expressè dicitur 2. Reg. 16. v. 11. quod adoleverit Baalim: quod clauerit januas templi Domini, & secerit altaria in universis angulis Jerusalem, & in omnibus urbibus Israel, ibid. v. 12. 2. Paralip. 28. v. 19. & segg.

XXXVIII. Quod addit de igne cœlesti, illum servatum fuisse in templo usque ad captivitatem Babylonicam. Respondeo i. id incertum esse. Nam probatio ex 2. Machab. 1. v. 19. adducta, nihil demonstrat, cum liber iste sit Apocryphus. Sed (esto,) ponamus, manserit ignis ille: Ergo statim & ejus legitimus usus? Nulla consequentia. Sic ponamus rursus manserint sacrificia: Ergone statim juxta legem Mosis. Neque hoc necessariò sequitur, & contrarium est demonstratum. Sed (ponamus tertio,) manserint illa etiam juxta legem & institutio-

C

nem,

nem Mosis? Ergo nè statim eo modo & fine? Credat Judæus Appella: cum clarissimi textus aliud loquantur & testentur. Demus etiam ex abundantia, sed ex hypothesi, (scimus enim quod si prius aliter se habuerit,) sacrificia & ratione modi ac finis mansisse integra, nihil tamen contra nos Lutheranos efficitur. Quandoquidem manet ex tota historia Politæ & Synagogæ Judaicæ clarum & manifestum, quod Lutherani cum primis urgemus, Sacerdotium publicum visibilis Synagoga Judaicæ, in qua plurimis Religionis Levitica articulis aliis gravissimè errasse, & à veritate divinitus revelata, defecisse.

XXXIX. Hoc jam demonstrato & concessò, evidens est, Ecclesiam illam visibilem non puram vel non veram fuisse, cum errores veritatem quantitate sua ac numero vincerent & obscurarent, haud secus ac in pontificia Ecclesia per tot jam secula fieri consuevit: ubi etiam mansit Baptismus & nonnulla alia, quæ verò tantum arguunt ibi Ecclesiam fuisse & esse, sed non statim puram.

XL. Progreditur deinceps Beccanus §. 47: ad tertium in probatione antecedentis elenchi, à se formati, & suæ sententiae oppositi, assumptum, examinandum: Tertium est Synagogam tempore Christi defecisse. Hoc verum est. Non quod tunc defecerit à vera fide, quam antea profitebatur, sed quia tunc repudiata est cum suis ceremoniis & sacrificiis, & in ejus locum successit Ecclesia Christi. At non sequitur, hanc similiter repudiandam. Imò contrarium sequitur. Primo, quia, ut ante dixi, Synagoga representabat ancillam Abrabæ, quæ fuit repudiata. Ecclesiam vero uxor Abrabæ, quæ non fuit repudiata. Secundò, Synagoga propterea fuit repudiata, quod neque perfecta esset, neque sufficiens ad salutem, juxta illud Heb. 7: 19. Nihil ad perfectionem adduxit lex. Et hoc sensu ceremonia & Sacramenta Synagogæ vocantur ab Apostolo infirma & egena elementa (Gal. 4: 9.) At Ecclesia Christi est perfecta & sufficiens ad salutem, quia Sacramenta ipsius, quæ a Christo instituta sunt, habent vim justificandi & tollendi peccata. Unde Augustinus in Psal. 73. Sacramenta inquit, Novi Testamenti dant salutem: Sacramenta Veteris Testamenti promiserunt Salvatorem. Tertiò, Synagoga continebat umbram futurorum (Hebr. 10: 1.) Ecclesia continet lumen.

cem, quæ est Christus. (Job. 1.9.) At umbra necessariò deficit, acceden-  
te luce. Debuit igitur cessare Synagoga cum sacrificiis Mosaicis, quan-  
do venit Ecclesia cum Christo. Quartò, Synagoga erat instituta pro  
servis, Ecclesia pro filiis. At servi accipiunt temporalem mercedem  
à suis Dominis, ac sic dimituntur; Filii autem succedunt in perpetuam  
hereditatem. Quod insinuat Apostolus ad Gal. 4.30. Ejice ancillam  
et filium ejus. Non enim hæres erit filius ancillæ, cum filio liberae.

XLI. Respondemus, primum falsum esse, quando Sy-  
nagoga & ejus Doctores accusantur à Christo falsæ doctrinæ,  
& quod defecerint à fide, Salvatorem intelligere, externarum  
Leviticarum ceremoniarum abolitionem: quippe qui ipsos in  
plurimis fidei articulis acerrimè reprehendit. Nicodemus sa-  
nè, qui erat princeps Judæorum, Job. 3. v. 1. & Magister in Israel,  
ibid. v. 10. non disputabat cum Christo de externis & Leviticis  
ceremoniis, sed de summo & ad salutem maximè necessario  
articulo de hominis justificatione & regeneratione: de quo  
verò nihil sciebat, nihil intelligebat: sed omnia, quæ de illo à  
Christo piè & salutariter proponebantur, tanquam absurdissi-  
ma repudiabat.

XLII. Job. 10. v. 8. ait Christus, omnes, quotquot ante  
me venerunt, fures sunt & latrones, quos sanè ita non nominat  
propter ceremonias Leviticas: quippe quæ erant ordinationes  
& cultus divini, ad veram doctrinam Veteris Testamenti per-  
tinentes, ideoque Deo & Christo placebant: siquidem durare  
debebant usque ad adventum Christi: sed propterea suos ante-  
cessores dicit fures & latrones; quia fuerunt falsi Doctores, qui  
omissoufato atque unico ingressu in cœlum, alias rationes  
monstrabant, & adulterina ostia vitam æternam ingrediendi  
ostendebant; atque hoc ipso hominibus furabantur id, quod  
preciosissimum est, nempe vitam æternam: imò animas homi-  
num occidebant, & in speluncam latrocini, hoc est, in bar-  
athrum æternæ damnationis præcipitabant: Atque hos fal-  
sos Doctores, addit Christus, ab ovibus, hoc est, verè fideli-  
bus, non auditos esse.

XLIII. Si autem quæras, quosnam intelligat & indi-  
gitet

gitet Christus? Sanè negari non potest, ipsum notare primarios Doctores Synagogæ Judaicæ, utpote Phariseos & Scribas, qui tum tenebant munus docendi in Synagogis, & occupabant Mosis cathedram, *Matth. 23. v. 2.* Docebant autem & inculcabant, quæ parum ipsi intelligebant, imò etiam multa falsa & noxia populo, illis applaudenti, proponebant. Nihil enim intelligebant de Evangelio, nihil de persona, nihil de officio Messiae. Imaginabantur sibi; & aliis persuader e satagebant, ipsum fore nudum hominem, neque regem spiritualem, sed mundanum, qui populum Judaicum è servitute Romana liberaturus esset.

XLIV. Legis quidem Doctores se jactabant sed internum legis sensum non tenebant, arbitrantes & docentes, hominem legi Dei satisfacere, imò plus facere posse, quam lex requirat: cum ejus satisfactionem tantum in externa locomotiva constituebant.

XLV. Non etiam contenti erant imponere hominibus legem Mosamicam, quæ per se est onus viribus humanis impossibile: aggravabant insuper id onus traditionibus suis & majorum suorum decretis, de humano ingenio excogitatis, quibus captivabant & illaquiabant miseras hominum conscientias, ut iis se omnino alligatas esse opinarentur, & in Deū peccare existimarent, si constitutiones eas transgredierentur. Et quod maxime detestandum, cum onera illa traditionum suarum imponerent conscientiis aliorum, ipsimet interim ea ne dito quidem movebant, aut tantillum observabant. Quid autem est in vera doctrina & fide deficere, si hoc non est.

XLVI. Hinc insuper Christus *Matth. 16. v. 6. Marc. 8. v. 15. & Lue. 12. v. 1.* suos discipulos accurata diligentia dehortatur ab hypocrita doctrina Phariseorum, & admonitionem illum suam acuit duobus emphaticis verbis: ἐργάτε καὶ προσέχετε, videte & attendite, docens, (recte & solidè explicante Hunnio) esse rem omnibus modis fugiendam & detestandam, à qua ipsorum sancte tamque serio dehortetur. Quæ autem ista? Fermentum Phariseorum & Sadduceorum. Quā voce Doctrinam

Etrinam falsam & hypocriticam Pharisaeorum perstringit.  
Quæ autem ista? Fermentum Pharisaeorum & Saducaeorum.  
Qua voce doctrinam falsam & hypocriticam Pharisaeorum  
perstringit; uti sub finem hujus dialogismi, nempe v. 12. Evangelista ipse explicat, inquiens: *Tunc intellexerunt, quod non dixi-  
set, ut caveant à fermento panis: sed à doctrina Pharisaeorum.* Et a-  
pud Luc. cap. 12. v. 1. *In primis, inquit, cavete vobis ipsis à fer-  
mento Pharisaeorum, quod est hypocrisis.* Quæ verba, sanè diserta & ma-  
nifesta, quando negat Jesuita, Jesum mendacii arguit, quo modo  
socius Jesu, Jesum tractare non debebat.

XLVII. Omnipotenter ergo reprehendit, & accusat Christus Synagogam Judaicam hoc nomine, quod defeccerat à vera fide. Et falsissimum est, quiequam agere Christum de abrogandis ceremoniis. His enim abrogatis, vera fides manere potuit: Et ceremoniae illæ quomodo dici, potuissent fermentum Pharisaeorum, cum Pharisaeorum non essent, sed pertinerent ad legem, à Deo datam. Et licet abrogandæ essent, id tamen non propter futurum erat, quod fuerint falsa Pharisaeorum doctrina? minime. Erant enim vera ipsius Dei constitutio: sed abrogandæ erant, quia finis illarum aderat, in ipsa lege definitus & constitutus, ut propter illam vel abrogationem vel defectionem falsitatis accusari nequaquam potuerint. Imò illo ipso tempore, quo accusavit Synagogam, & publicum sacerdotium erroris insimulavit Christus, ipse legi isti ceremoniali se subjiciebat, illamque observabat, visitando anniversaria festa; cæteraque observando, quæ lex requirebat, quippe qui universam legem implere volebat. Quomodo ergo propter illius ceremonias publicum sacerdotium accusare potuit Christus, quas ipse servabat, & Pharisæi Sacerdotes que Iudaici non abrogabant? Tantum abest, ut hoc fecerit Christus, ut etiam turbæ & discipulis suis mandaverit, omnia, quæ Scribæ & Pharisæi, sedentes in cathedra Mosis, dixerint, servare & facere. Matth. 23. v. 2. & 3.

XLVIII. Unde sic Argumentamur. Quæ Synagoga

C 3 tem-

tempore Christi ita defecit, ut defectum illum, fermentum & faltam doctrinam Pharisaeorum definierit ipse Christus, illa à vera fide defecit: Atqui Synagoga Judaica tempore Christi, dicto modo defecit: Ergo à vera fide defecit. Deinde in quo nō deficiebat publicum sacerdotium, propter illius defectum à Christo non potuit accusari: Atqui in abrogandis ceremoniis Mosaicis non deficiebat: ergo propter illius defectum sacerdotium publicum à Christo accusari non potuit. Minor probatur: Quia non abrogabant.

XLI X. Negandum quoq; omnino est, Ecclesiam veram Judaicam, quæ in vera fide permansit, à Christo repudiata esse unquam. Quandoquidem illam pro suo ovili agnoscit Joban. 10. v. 16. Ubi docet oves suas esse de domo Israelis: quippe cui etiam præ omnibus aliis gentibus, ut Doctor, promissus & missus erat: Ideoque illam ipse docuit, & ad illam alias oves, quæ ex hoc ovili non essent, adducere, & sic ex ovili Israelitico & gentibus unum gregem, & unum ovile facere velle promittit. Job. 10. Quomodo ergo ovile Judaicum repudiare potuit, quod omnium primum elegit, docuit, & vocatione gentium auxit?

L. Tertio demonstravimus in precedentibus, si Apostoli verba accuratius pensitemus, nullam fieri in illis compensationem duarum uxorum Abrahamicum Ecclesiis ipsis Veteris & Novi Testam: sed cum duabus pactionibus sive doctrinis. Ut enim Abrahæ domus tunc fuit vera Ecclesia: Ita minime dubium est, quin præcipui, & præ aliis memorabiles evenitus, qui in ea congerunt, nobis totidem sint typi. Sicut ergo in domo Abrahæ duæ matres, ita etiam in Ecclesia Dei. Doctrina enim mater est, ex qua nos Deus generat. Ea est duplex, Legalis & Evangelica. Legalis in servitutem generat: Ideoque similis est ancillæ, Agar. Sara autem secundam representat, quæ generat in libertatem.

L.I. Apostolus vero in hac Epistola c. 4. vult ostendere, non obstat Galatis, quo minus sint filii Abrahæ, adeoq; & promissionis illius hæredes: quamvis secundum carnis propagacionem

nem ab eo non sint geniti. Nam ille, qui secundum carnem ex illo natus erat, non tamen haeres erat promissionis. Proinde vos, inquit, non conturbet, quod non sitis secundum carnem ex eo nati. Nam ad hoc ipsum maximè estis ejus filii: quemadmodū & Isaac: qui nec ipse quidem secundum carnem tantū (ut Ismaël) ex patre natus fuit, sed secundum promissionem, cujus etiam verus haeres extitit. Certum igitur est, duas pactiones, juxta hunc locum Pauli, matrum instar esse, ex quibus dissimiles filii nascantur: quia pactio legalis servos. Evangelica liberos facit. Lex itaque cum suis ceremoniis abrogata quidem est, sed non vera Judaica Ecclesia: Hæc enim mansit, & Messiam in carne revelatum, juxta Prophetias Veteris sui Testamenti agnovit, proindeq; umbras exorto Sole, evanescere & amovere intellexit.

LIII. Quarto pergit in sua confusione Beccanus. Epistola ad Hebreos non loquitur de Synagoga sive Ecclesia, sive populo Veteris Testamenti, sed de legis imbecillitate sive inutilitate, ratione justificationis, regenerationis & salvationis: nempe docet, quod illa neminem verè justificare, regenerare & servare potuit, ut etiam v. ii. dixerat: Et quod propterea divinitus obtata nobis est spes melior, id est, Servator & Evangelium, affertes nobis materiam & causam, certò, indubitanterq; bene sperandi, summaq; spiritualia bona à Deo expectandi. Rom. 8. ab initio. Atq; per hanc spem aut doctrinam & Servatorem dicit nos in tantam apud Deum perductos esse gratiam, ut libere eum accedere, & omnia bona ab ipso petere audeamus. Quemadmodum & Paulus Act. 13. v. 39. dixit, nos ab omnibus illis à quibus per legem justificari nequiverimus, per Christum justificari & absolvi.

LIII. Quinto concedimus quidem, Paulum ad Gal. 4. v. 9. ritus Mosaicos, quibus sese denuò temerè in servitutem dederant Galatae, vocare egena elemēta: Sed quomodo, & quo respectu? Probè notandum est, quod in hunc locū Flacius monet: ne peritus illos tripliciter considerari, in Christo, extra Christū, & contra Christū. In Christo considerantur, quatenus verè piis fuerunt quædā Sacramēta, monstrantia Christū, seu pedagogia ad illum.

Fara-



Ea ratione habuerunt in se ipsum nucleus vitæ, verumque suum finem, qui est Christus: *Extra Christum, quatenus à multis tantum, ex consuetudine quadam servati sunt, ante & post Christum. Contra Christum, quatenus eis justitia & salus à multis tributa est, aut certè fuerunt signa tribuentia moralibus operibus justitiam.* Non igitur fuerunt, neque dicuntur ab Apostolo simpliciter, & quidem juxta primam considerationem egena elementa: sed tantum hisce posterioribus rationibus aut egena, vacuaque, & inutilia planè elementa fuerunt, aut etiam venenata, qualia Galatis extiterunt, qui per ea ex Christo exciderunt.

LIV. Quod ergo secundum quid dicit Apostolus, id simpliciter accipit, & ad suum institutum & errorem stabilendum, sophistice applicat Jesuita. Quandoquidem in se considerata, & ut à Deo instituta erant, etiam (ut dictum est) in se continebant nucleus vitæ, & ipsum Christum, vicissim promissionum, juxta Augustinum. Quarum certitudo, res ipsa erat in conspectu Dei; ideoque & ipsæ suo modo, nempe Veteri Testamento conveniente, salutem dabant. Neque ergo Augustini sententiâ quicquam contra nos obtinet Sophista.

LV. Sexto & ultimo non etiam dicitur Hebr. 10. v. i. Synagogam obtinere umbram futorum, sed legem. Confundit ergo rursus Jesuita legem & Synagogam sive Ecclesiam Judaicam. Umbras quidem legales in Ecclesia Judaica deficere oportebat, accedente luce Christo, sed non Ecclesia Judaica. Illa enim stabiliri potius, perfici & illuminari debebat, ut agnosceret ex Prophetarū & legis promissionibus & Christi actionibus, inter se collatis, ipsum esse verum Messiam, in lege promissum. Unde etiam Christus ipse, quando se Messiam demonstravit populo Judaico, semper ex lege, Prophetis & Psalmis id præstít, ut tota Historia Evangelica testis est.

LVI. Tandem negamus Synagogam Judaicam pro servis, & tantum Ecclesiam N.T. pro filiis fuisse institutam, si nimirum ibi gregesque reliqui Christiani non habentur.

minimorum vox Servi sumatur in illa significacione, in qua accipi debet, juxta allegatum Pauli ad Gal. 4. locum. Nam generatio in servitutem, de qua hic disputat Apostolus, est tantum illorum, qui perperam abutuntur lege, ut nihil ex ea nisi servitatem concipient. Non sicut pii Patres, qui in Synagoga & Ecclesia Veteris Testamenti vivebant. Nam non impediens servis legis generatio, quin matrem haberent Jerusalem in spiritu; sed qui in nuda lege hærebant, neq; paedagogiam esse agnoscabant, quā ad Christum ducerentur, sed potius obstaculum ex ea sibi faciebam, (ut tempore Christi Pharisei) ne ad Christum pervenirent, ut illi erant Israelitae nati ex servitute.

LVI. Lex ergo olim discipulos sive filios in servitatem genuit sanctos Patres, Prophetas, & reliquos fideles, non ut servi manerent: sed quia sub paedagogia illos Deus ad tempus continebat. Libertas nāq; eorum sub velo ceremoniarum & totius œconomia, qua tunc gubernabantur, erat abscondita, ut in externa specie nil nisi servitus appareret. Ideo Paulus Rom. 8. 15. Non habuistis iterum spiritum servitus in timore. Quocirca sancti illi & fideles in Synagoga & Veteri Testamento uterunq; intus liberi essent coram Deo, externo tamen aspectu nihil à servis differebant: atque ita matris, nempe legis, conditionem referebant. Evangelii vero doctrinatum in partu filiis suis confert plenam libertatem, tum eos etiam liberaliter educat.

LVII. Certum autem est, ut diximus, Paulum nequamquam hie de talibus loqui filiis, ut evidenter ex contextu patet. Nam per filios Sina, non Synagogam sive Ecclesiam Iudaicam (ut sibi imaginatur Beccanus) sed hypocritas, qui tandem exterminantur ex Ecclesia Dei, & abdicantur hæreditate, se intellexisse, exponit.

LIX. Inquis, si hoc verum, quomodo verum erit, quod Paulus dicit, tales ex pactione Dei nasci, & in Ecclesia censemur? Respondeamus, esse illos corrupti seminis, adulterinum semen, neq; propriè generari à Deo, sed degeneres esse, & quasi spurious, qui Deum falso patrem citant, & quo repudiantur. Atq; hoc quoq;

D

codem




codem titulo censeri in Ecclesia: Non quia vera sint ejus membra, sed quia locum ad tempus usurpent, & induit larva decipient. Quandoquidem Apostolus hic Ecclesiam considerat, qualis in hoc mundo cernitur.

L X. Falsissimum utiq; est commentum Beccani, Synagogam Veteris Testamenti pro servis, ut describuntur a Paulo, & comparantur cum Hagar & Sina iunctitiam esse; & ejectionem illius ancille, & filii ejus typum esse repudiatae Synagogae Israeliticae cum suis ceremoniis & sacrificiis. Cum Apostolus expressè doceat, ejectionem istam typum fuisse exclusionis Iudeorum à Regno Dei ob spretum beneficium remissionis peccatorum & justificationis gratuitæ per Christum, & liberacionis à servili rigore & maledictione legis. Haec enim unica est causa, quod Judæi sub servitute manent, non modo legis (qua minima est) sed peccati proprie, mortis & Diaboli: quia hunc justitiae libertatisq; principem & salutis anthonem Christum, rejiciunt, & suam propriam justitiam, in operibus sicam, astrue satagunt. Rom. 9. & 10. Contra vero Evangelium de gratuitate per Christum justificatione caro peccatus & angus oderunt. Quo circa juxta divini oraculi sententiam; Ejice ancillam, &c. sunt & ipsi è regno Dei ejecti in extremas tenebras, ubi ploratur & stridor dentium. Matth. 8. secundum insigne misericordie eius

## SOLI DEO GLORIA.





## Humanissimo & Doctissimo Do- mino Respondenti.

Discipulos Christi veros, solosque fideles  
Pontificis sese jactat furibunda caterva.  
Quod magnis nugis mirè torquendo pagellas  
Sacras monstrare studet conamine magno.  
Petri nevè parum clavis virtutis haberet  
Non dubitat verbis gladium conjungere Petri,  
Atque repugnantes infami tollere letho.  
Nos docti à Christo contrarium, inermibus armis  
Et strictum Papæ lacrimis avertimus ensem  
Petri solventes verbis mendacia quæque.  
Hocce tuum est etiam studium doctissime Maji;  
Ut sene spectando monstres moderante Becani  
Innoxæ quam sint fragili fundamine nugæ.  
Macte animo conjunge virū studiumque precesque  
Immensumque preces ardentes pondus habebunt.

M. Matthaeus Pulman.

---

N Unquam collectos suadent errasse locusta,  
Nec posse, affirmant, rasa cobors Erebi,  
Errant quos errare negant, errantque ne-  
gando

Hi qui errare negant, quo tamen error agit.  
Tu Jane baut erras bos quando errare fateris  
Quos errasse refert pagina sacra viros.

f.

Levinus Stegman Soltqacl.

F I N I S.

Israël n'a pas d'autre vainqueur.

卷之三



99 A 6900

ULB Halle  
002 622 092

3



SB


Retro

VDT7





# FarbKarte #13



B.I.G.

in TERTII  
in Confessionem

TIO XLX.

tinens

ARTICVLI VII.

Ecclesia,

specie,

an dentur exem-

Ecclesiam visibilem to-

ndo errasse,

posita.

emia VVittebergensi,

S I D E

MARTINI S.S. Th.

Primario, Facult. Theol.

pli Arcis Präposito,

NDENTE

LHELMO MAJO,

Marchico.

Collegii Veteris

29. Aug.

BERGÆ,

IS AUERBACH, Acad. Typogr.

MDCCXXX.